



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XLIII. Contra vanam & sœcularem scientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

C A P U T X L I I I .

*Contra vanam & secularem  
scientiam.*

I. **F**ili, non te moveant pulchra  
& subtilia hominum dicta.  
Non enim est regnum Dei in sermo-  
ne, sed in virtute.

Attende verba mea, quæ corda ac-  
cendunt, & mentes illuminant : in-  
ducunt compunctionem : & variam  
ingerunt consolationem.

Nunquam ad hoc legas verbum,  
ut doctior aut sapientior possis vi-  
deri.

Stude mortificationem vitiorum,  
quia hoc amplius tibi proderit ,  
quàm notitia multarum difficultum  
quæstionum.

2. Cùm multa legeris & cognove-  
ris , ad unum semper oportet redire  
principium.

Ego sum , qui doceo hominem  
scientiam : & clariorem intelligen-  
tiam parvulis tribuo , quàm ab ho-  
mene possit doceri.

O 2

Cui

Cui ego loquor, citò sapiens erit,  
& multum in spiritu proficiet.

Væ eis, qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihi serviendi parum curant.

Veniet tempus, quando apparet Magister magistrorum Christus, Dominus Angelorum, cunctorum auditurus lectiones, hoc est, singulorum examinaturus conscientias.

Et tunc scrutabitur Jerusalem in lucernis, & manifesta erunt abscondita tenebrarum, tacebuntque argumenta linguarum.

3. Ego sum, qui humilem in punto elevo mentem; ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quam si quis deceim annis studuisset in scholis.

Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum.

Ego sum, qui doces terrena despicer, præsentia fastidire, æterna querere, æterna sapere, honores fungere,

gere , scandala sufferre , omnem  
spem in me ponere , extra me nil cu-  
pere , & super omnia me ardenter  
amare .

4. Nam quidam amando me in-  
timè , didicit divina , & loquebatur  
mirabilia .

Plus profecit in relinquendo om-  
nia , quam in studendo subtilia .

Sed aliis loquor communia , aliis  
specialia : aliquibus in signis & figu-  
ris dulciter appareo , quibusdam  
verò in multo lumine revelo my-  
steria .

Una vox librorum , sed non om-  
nes æquè informat : quia intus sum  
Doctor veritatis , scrutator cordis ,  
cognitionum intellector , actionum  
promotor , distribuens singulis , pro-  
ut dignum judicavero .

## C A P U T XLIV.

*De non attrahendo sibi res exteriores.*

1. **F**ili , in multis oportet te esse in-  
scium , & æstimare te tan-  
quam  
O 3